



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

Reverendissimo et Illvstrissimo Domino S. R. I. Principi Iodoco Lavsanensi  
Episcopo, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**

REVERENDISSIMO ET IL-  
LVSTRISSIMO DOMINO DOMI-  
NO S. R. I. PRINCIPI  
**IODOCO**  
LAVSANENSI EPISCOPO,  
ac Comiti, itēmq; Collegiatæ Ecclesiæ  
S. Leodegarij Lucerriæ  
P R A E P O S I T O.

*Nec non ceteris*

ADMODVM REVERENDIS, NO-  
bilibus, & Clarissimis, ejusdem Ecclesiæ  
Collegiatæ  
**DD. CANONICIS.**

Patronis meis obseruandissimis.

**E**T si de cœlo S. Iosephvs huic  
suarum Laudum à me suscepto  
patrocinio, haud dubiè propitiam  
manum porreſturus fit, non de-  
dignatur tamē, more sanctis vīstatō, etiam  
ex terrā, Patronos aliquos optari in Socie-  
tatem auxiliij facri. At fierine potest, vt  
**CLERICVS ad alios, quām CLERICOS, &**

A 3

CLE-

CLERICORVM PRÆCIPVOS, feliciùs ac sa-  
pientiùs confugiat? Nemo opinor, hoc di-  
xerit. Præ omnibus igitur Vestrum, RE-  
VERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME EPI-  
SCOPE AC PRÆPOSITE; ADMODVM REVE-  
RENDI, NOBILES, ET CLARISSIMI DOMINI  
CANONICI, Nomen, Tutela, & Opera, à me  
michi quærenda, roganda, atque exoranda  
est; nisi fortè aliquis negare possit, TALES  
Vos esse, quales vñā mecum Vniuersa Pa-  
tria lætabunda agnoscit, hoc est, PRÆCI-  
PVOS CLERICORVM. At hoc neque Iusti-  
tia, neque Veritas sinit. Nam i. Vos, vt in  
communi alloquar, HIC IDEM PRÆPOSI-  
TVS VESTER, meritò Sapientiæ ac Virtutis  
eximiæ, postquam SANCTISSIMI D. INNO-  
CENTII X. SINGVLARI FAVORE INTER-  
NVNCIVS CVM POTESTATE LEGATI A LA-  
TERE, ad Heluetios Rhætósque & adjun-  
ctos ijs populos, præclarè fuit, etiam ex alienâ  
Diæcesi, Constantiensi nempe, EPISCO-  
PVVS LAVSANENSIS AC COMES renunciatus  
& confirmatus est. Deinde autem consti-  
tuitis Vos, ADMODVM REVERENDI, NO-  
BILES, AC CLARISSIMI DOMINI CANONICI,  
præcipuæ istarum partium Ecclesiæ Cor-  
pus,

pus, vèrè principalia membra. Non solùm  
enim CANONICI estis, quod VOBIS com-  
mune est cum alijs multis; sed etiam per  
Vos ipsos, eo, quæ CANONICIS præscri-  
psit Trident Sess. 24. cap. 12. religiosissimè  
obitis; vt meritò, quemadmodum idem  
loquitur, ECCLÆ SENATVS possitis ap-  
pellari. Insuper autem emicant in VOBIS  
duo hæc præclara Decora, ac nescio, an  
vllis alijs CANONICIS concessa: non enim  
contenti diuinis nocturnisque Horis Di-  
uinum celebrare Officium, etiam ANIMA-  
RVM CURAM, PAROCHIALI IVRE, omnes  
& singuli, indefessi geritis; & concionandi  
laude tantopere præstatis, vt Vocem, Ze-  
lumque vestrum, ac facundiam singula-  
rem etiam Religiosorum Templa, Festá-  
que audire gestiant. Quamobrem hæc  
ipsa quoque IOSEPHINA mea, siue rectius  
JOSEPHVS meus, in primis ad Vos, quem-  
admodum dixi, ostendique, PRÆCIPVOS  
CLERICORVM, siue vt PATRONOS, siue  
verius vt PRÆCONES earum Laudum, quas  
Magno huic Sancto assertum venio, reci-  
pit se. Et quia gratiarum nihil est in me,  
quod reponere possim, id vnum precor AB

A 4

ILLO,

ILLO, ac PER ILLVM, vt Vos Colendissi-  
mos Dominos, ac Patronos meos in terrâ  
fauentissimos, SIBI, ECCLESIAE VESTRAE,  
PATRIÆ item, ac in eâ MIHI, quâm diutis-  
simè optimèque, seruet semper incolumes  
ac beatos. Lucernæ.

Resver.<sup>mæ</sup> et Illust.<sup>mæ</sup> Celsit.<sup>nis</sup>

Vestrae.

Itēmque

Admod. Rev: Nob: et Clar:  
Dom: VV:

Cliens Infimus

IACOBVS TSCHAN  
Presbyter,